

# **Ecclesiarum Helveticarum de negotio irenico a Ioanne Duraeo suscepto & proposito primae deliberationes epistolicae**

Autor(en): **Duraeus, Joannes / Breitinger, J. Jacob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 20

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394685>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

ECCLESIARUM HELVETICARUM

de

NEGOTIO IRENICO

a

JOANNE DURÆO

fuscepto & proposito

Primæ Deliberationes Epistolicae.

---

Reverendis & Religiosissimis Viris D. D. Antistiti,  
& reliquis Ecclesiæ Tigurinæ Pastoribus fide-  
lissimis, D. D. atque Fratribus omni  
observantia colendis.

**F**ida illa & arctissima, R. R. D. D. & Fratres  
plurimum honorandi, quæ nobiscum inter-  
cedit in Spiritu Christi conjunctio effecit ha-  
tenus, ut omni nobis graviore oblato ne-  
gocio nostra consilia Vestris sociare atque iisdem  
firmare semper sategerimus. Quod ut nobis ho-  
nestum, & rebus ipsis salutare perpetuo fuimus  
experti. Antiquum morem etiam nunc usurpare  
jubet ardua, ad quam Vos, ut audimus, peræ-  
que ac nos appellamur, deliberatio. Literis Rever.  
Viri D. DURÆI, Scoto-Britanni, Verbi Divini  
apud suos populares in Castris Suecicis Ministri,  
magno rationum & verborum apparatu invita-  
mur,

mur, ut Consiliis de sarciendo Ecclesiarum Germanicarum Schismate, a Magnatibus & Theologis utrinque passim agitatis, calculum apponamus atque operas commodemus. Rei agendæ hunc modum atque ordinem ipse delineat: Ut primo Scriptum edamus, ad exemplum Theologorum Anglicanorum, quo suffragium, vota ac studia nostra ad generalem Concordiæ scopum contestemur. Dehinc excitemus ejusdem gentis Præsules, ut apud Serenissimum suum Regem instent, opus sanctissimum & gloriosum ad Regias curas suas revocet, illi procurando & conficiendo Caput se præbeat. Demum seria & accurata a nobis instituaturs deliberatio de aptissimis rationibus ingens negocium feliciter promovendi. Arreximus aures ad lætum & insperatum nuncium: & corda nostra contrariis rumoribus antea vulnerata recreavimus & dilatavimus. Neque vero fidem Literis Viri boni & Zelum Dei professi derogare ausi fuimus: quantumvis varia nos animi suspensos detinerent, quod unus, isque exterus, in bellico procinctu, silentibus reliquis Viris gravissimis in medio agone versantibus, tanta rerum miracula nec opinato ostentaret & vastam molem solus ferme torqueret: quod inter armorum fragores, concussa & flagrante usquedum omni Germania, desiderato illo glorioso Capite, quod unum videbatur, si in hanc curam suas cogitationes serio flexisset, animos crudos & efferos compescere & moderationis justæ leges omnibus ponere potuisset: Quod ad Anglicanarum Interpellationum longas ambages remittamur tanquam ad sacram anchoram, cum illi Serenissimo Regi animus a pietate, zelo & sapientia cumulate sine opera nostra instru-

ctus, de rerum statu plene edoctus, resque ipsius veluti propria agatur, propter jura quæ ipsi cum Dano & Palatino, quorum hic præcipuæ partes sunt, familiaria & arctissima: Ambitiosa hæc & invidiosa in humilioribus officia, si ultro offerantur, plerumque videri: posse a suis Præsulibus & Theologis, quorum jam sollicitata fuit opera, acriter satis permoveri. Neque tamen propter ista, quæ rei totius gustum minus sapidum nobis exhibebant, ab omni opere & honesto tentamento cessandum, neque spem omnem protinus abjiciendam judicavimus. De bene consultis bene sperandum, non vero de exigua spei mensura officia angustanda; desidiæ non debere obtendi rei difficultatem: Labores & conatus nobis mandato divino impositos: Spem in Deum ferri, cujus supra omnem captum & modum nostrum est potentia & liberrima actio. Quid si arcana Dei Providentia præteritarum cladum hunc exoptatissimum, suspirantibus Seminis sancti reliquiis, fructum Pacis reconditum aservet? Caveatur modo inconsultus procurfus & intemptiva motio. Quare de Scripto votorum nostrorum teste ultro assentimur; quod periculo vacare videatur, & monimentum sit futurum nostrorum suspiriorum, studii & æquitatis. Interpellationibus Anglicanis abstinere modestiæ propius censemus. Ad penitentiorem vero de summa negotii Deliberationem in antecessum consulendos arbitramur Fratres Palatinos, Brandenburgicos, Hassiacos, aliosque, qui nos plane & ex fide edoceant, quid rei, quid spei, qui sint adfecti adversantes; quæ vota, quæ mens nostrorum; qui Principum sensus, quæ Theologorum propensiones; quæ promit-

promittenda, quæ occasionum momenta captanda, quæ Syrtes vitandæ, quis trames aggrediendi tutissimus. Quandoquidem, si non successerit eventus, satius ad Salutem & famam fuerit, nunquam tentasse: & sopita vulnera, quam præposteris medicamentis exasperata, præstent. Medicorum τὸ τὰ πέποινα φαρμακεύειν imitandum, si illi e voto responderint, facem alluxerint, operas & studia nostra provocaverint, tum demum alacres cum Deo miserationum opus collatis consiliis aggrediamur, capita conferamus, nos omnes ad opus seculorum multorum cura dignissimum concutiamus. Documenta vero illa vagis & fluctuantibus deliberationibus antecapere, id vero est in tenebris operam perdere, quum e longinquo judicantibus, ut & spectantibus, vanæ rerum species ut plurimum illudant. Quid Vos Domini & Fratres perhonorandi hic sentiatis, aperite & nos in Societatem sanctissimarum Vestrarum Considerationum adhibete. Dei gratiæ & tutelæ Vos, Vestram Ecclesiam & Remp. florentissimam studiose commendamus. Valet in Christo optime. Genevæ 10. Junii. Anno 1633.

Vestri in Christo conjunctissimi & obsequen-  
tissimi Fratres, Pastores & Professores Ec-  
clesiæ & Scholæ Genevensis & omnium  
nomine

Johannes Deodatus.

Petrus Prevostius.

Th. Tronchinus.

Daniel Chabræus.

Fridericus Spanhemius.

Reve-

Reverendis , Clarissimisque Viris , Ecclesiae &  
Scholae Genevensis Pastoribus & Professori-  
bus fidelissimis, V. D. M. & Fratribus  
plurimum honorandis.

S.

QUam fidam & sanctam Ecclesiarum nostrarum in  
Spiritu Christi conjunctionem Divina bonitas  
nunquam non benigne respicere dignata fuit, quod  
vos eandem, Reverendi & Clarissimi Viri, dilectis-  
simi in Domino Fratres, vobis tam constanter cor-  
di esse reipsa testamini, id vero nobis est omnium  
longe gratissimum, & vel hoc nomine literas ve-  
stras non sine voluptate eximia legimus: Vosque  
vicissim securos esse jubemus de reciproco sincere  
voluntatis affectu. Certe si alias unquam, tem-  
pus hoc praesens, & parturientis Ecclesiae novi  
angores, vinculum unitatis atque arctissimum con-  
sensum requirunt. Quid sentiamus de conatibus  
& scriptis JOANNIS DURÆI, *Theologi Scoto-Bri-*  
*tanni*, aperiri vobis, & in societatem considera-  
tionum nostrarum adhiberi, Charissimi Fratres,  
fraterne amicissimeque petitis. Quam proni simus  
ad vobis patefacienda omnia animorum nostrorum  
arcana, opere ipso in causa hac ipsa vobis mon-  
stravissimus, nisi Fratrum *Bernensium*, *Basileensium*  
& *Scaphusianorum* judicia maluissimus prius cogno-  
scere, ut plenius petitioni vestrae satisfieri posset.  
Nunc vero quia haecenus respondere iidem diffe-  
runt, ne sinisterius moram nostram interpretemi-  
ni, rogamus peramanter. Principio autem non  
diffitemur, nos lectis *Duræi* literis non leviter affe-  
ctos fuisse. Hominis pietatem, eruditionem, ze-  
lum, & generosum illud desiderium tranquillitatis  
eccle-

ecclesiasticæ quis non comprobaret ex asse? Contra vero affatim istiusmodi nobis obversabantur pacificationes, quæ jam inde a Reformationis ultima memoria tentatæ fuerunt non frustra duntaxat, sed contrario plerumque eventu & noxio. Antecessores & vestri & nostri, homines religiosissimi, integerrimi, Pacis atque Concordiæ studiosissimi, nec non mansuetudinis spiritu omniumque donorum supellectili ad miraculum usque divinitus instructi, quid quæso ad summam fidem atque industriam fecerunt reliqui, ut Ecclesiarum Germanicarum diffidia, si non componi in universum, mitigari saltem aliquatenus, & animi dissentientium a convitiis inhiberi minimum possent? Verum perpetua Seculi integri praxis luculenter nimis nos docet per partem alteram ubique & semper stetit, quo minus tam piæ animæ voti sui factæ sint compotes: & quod in abyſſo malorum deterrimum est, vulnerum hiantes partes ex quovis medicamento & lenissimo & circumſpectiſſimo genere, ne spem quidem coalescendi fecerunt ullam, sed in divulsiones atrociores pertinaciter abire sunt solitæ. Quod si & nunc quoque fieret, quanto hoc foret conjunctum non cum miserando scandalo duntaxat, sed cum periculosiſſimo dispendio Reipublicæ Christianæ totius, cujus reconcinnatio tam operose, tantis impensis, tanto Sanguine adhuc quæritur. Quam proclivis autem inter Principes & ordines Imperii Evangelicos, ad dissocianda consilia sit via, si Theologorum novæ dissensiones hinc illinc suos ab alteris separare satagerent, non est ut prolixius vobis edisseramus. Quia tamen novissimi hujus biennii tractu multa & magna Deus edidit potentiæ suæ specimina, quæ

quæ utique spem nostram captumque humanum  
*ἐναντιπρόσωπος* superant, æquum esse ultro fatemur,  
 ut paria alia & quidem majora etiam, de immen-  
 sa illa & imperscrutabili clementia Patris Cœlestis  
 speremus. Hæc causa est cur & vos & Ecclesias  
 Helveticas reliquas illico consulendas, atque in re  
 tanti momenti nihil in alteram partem sine con-  
 sensu vestro statuendum esse duxerimus. Interim  
 vos, uti petitis, quid sentiamus, celare nolu-  
 mus, ac profitemur, nos ad omnia literarum ve-  
 strarum capita summo consensu accedere: Si e re  
 vobis esse videtur ut edatis aliquod scriptum, quo  
 suffragium, vota ac studia vestra ad generalem con-  
 cordiæ scopum contestemini, id improbamus haud-  
 quaquam. Tametsi enim tota hæc res futura sit  
 plena operæ plurimæ, & eventus plusquam an-  
 ceptus, non tamen spem omnem abjici, vel de-  
 sidia difficultatem obtendi debere, vobiscum om-  
 nino sentimus: modo studiose caveatur inconsul-  
 tus & præcipitatus procursum, ut prudenter rectis-  
 simeque monetis. Præterea ut Anglicani Præsu-  
 les ab Ecclesiis nostris interpellentur, iisdem qui-  
 bus vos rationibus prohibemur. Sunt in Anglia  
 complures, referente *Duraeo* ipso, qui sponte sua  
 in sanctum hoc opus incumbunt gnaviter. Su-  
 mus nos ab Eminentia regia remotiores, estque  
 gens nostra in oculis populorum majorum parva.  
 Cum primis ut currentibus aliis calcar addamus nos,  
 quibus de hoc instituto vix dum innotuit, a mo-  
 destia nostra alienum esse haud abs re arbitramur.  
 Deinde ut consulatis Fratres *Palatinos, Brandebur-*  
*gicos Hassos*, alios, quid ipsi de conatibus consi-  
 liisque hujuscemodi judicent, quid sperent, quid  
 metuant, quid suadeant, dissuadeantve; quid sta-  
 tus



tus Ecclesiarum suarum hac rerum facie ferre queat, quidve recuset: quid item sit animi vicinis suis, & quos illi præ se ferant affectus, hoc totum omnino necessarium esse statuimus. Laudarent haud dubie Fratres illi promptum nostrum & alacrem medendi affectum, medicinam ipsam forte non item, maxime si intempestiva illa foret, & ab ipsismet, qui quo loco sint res suæ, uni omnium exploratissime norunt, non expetita. Interea temporis & nos quoque speramus aliquid litterarum ex nundinis Argentoratensibus allatum iri, unde quid faciendum sit, tutius aliquantulum scire possimus.

Habetis, Conjunctissimi in Domino Fratres, quid nobis inpræsentiarum animi sit atque consilii, & vicissim mentem vestram, si proporro nobis aperire non gravabimini, rem nobis tam gratam facturi estis, quam quæ gratissima esse solet. Deum toto pectore precamur, ut corda vestra, & quotquot ad negotium tanti momenti sese accingunt, Spiritu suo sancto misericordissime illuminet, gubernet, ac dirigat, ne muri Hierosolymorum fatiscant magis, & rimas capiant, sed felicissime arctissimeque coeant & sanentur. Valet in Domino, & causam Dei feliciter agite. Tiguri. 16. Junii. 1633.

Pastores & Professores Ecclesiæ & Scholæ  
Tigurinæ.

D. Georgio Johanni Peblitz,  
Reip. Tigurinæ Colonello, Domino ac Fautori  
observanter honorando.

S.

TAmetsi negotiis publicis & toti Reip. salutari-  
bus Christianæ, Generosissime Vir, Domine

ac Fautor observanter colende , Te occupatissimum esse non ignorem ; quia tamen & hæc ipsa causa ad bonum publicum maximopere spectat , de ea Te compellere non admodum verecundandum esse persuasus sum. Dedit ad Venerandos Collegas meos Heilbrunna litteras Clarissimus Vir , JOHANNES DURÆUS *Theologus Scoto - Britannus* , quibus adjunxit scripto consignatum *Scopum consiliorum* suorum , videlicet ut disidentibus Ecclesiis ab Antichristianismo reddatur pax & animi disjuncti nimis , si quocunque modo id fieri queat , aliquousque concilientur. Addidit & *Catalogum Theologorum M. Britanniae* , quibus negotium hoc cum primis curæ sit : utque plerisque nobis constaret de rei totius œconomia , *Problemata* quædam *typis descripta* , veluti disquisitionis futuræ materiam , una transmisit. Diligenter Venerandi Collegæ rem tanti momenti pensitant , & gravissimis rationibus illis , quibus Ecclesiarum omnium Pastores ad promovendum hoc opus invitat , locum suum ultro concedunt. Tametsi & D. *Duræus* nobis antea non notus fuerit , tamen omnes hominis pietatem , eruditionem , zelum , magnanimitatem agnoscimus , osculamur , & omni veneratione dignam censemus. Misimus præterea litterarum ipsius exempla ad Ecclesias Helveticas omnes , earumque sententiam statim ac cognoverimus , responsum aliquod , sollicitudinis nostræ & voti Christiani testimonium publicum , a nobis accipiet. Interim rem longe gratissimam Collegio nostro , & mihi privatim acceptissimam Generositas tua fecerit , si prudentissimo suo consilio , quod jure meritoque facimus maximi , nos aliquantum juvare dignetur. Nos enim a partibus  
illis

illis Germaniæ longinquius absumus, neque com-  
 pertum habemus, quid a parte adversa sperare  
 liceat, vel an temporis præsentis conditio talia  
 conamina aut postulet, aut ferre possit. Medi-  
 cina certe intempestiva sæpe non salus ægrotanti-  
 um, sed mors est. Nunquam profecto in Eccle-  
 siis Helveticis desiderium pacis quisquam deside-  
 rabit, quamque abstineamus cum pro Cathedra,  
 tum in Scriptionibus nostris universis ab omni  
 convitiorum etiam umbra, Tumet ipse, mul-  
 tos annos quippe concionum nostrarum Auditor,  
 locupletissimus testis fueris. Hoc tantum vere-  
 mur, ne consilia & studia nostra afferamus vel  
 tempore alieno, vel de re ipsa non satis edocti.  
 Sententiam autem Generositatis tuæ atque consi-  
 lium vel hoc nomine confidentius peto, quod in-  
 tellexi G. Tuæ D. *Duræum* apprime notum fami-  
 liaremque esse. Quemadmodum igitur non du-  
 bito, quin Ecclesiarum nostrarum mentem G.  
 Tua D. *Duræo* fidelissime explicet, ipsumque de  
 nobis rectissime sperare jubeat; ita omnino mihi  
 polliceor a G. Tua vicissim nos quoque de re  
 omni institui posse. Quod beneficium si ad quam-  
 plurima alia accederet, nos G. Tua omnes sibi  
 habitura esset tam devinctos atque obstrictos,  
 quam quos omnium maxime. Vale. Tiguri.  
 26. Junii. 1633.

Joh. Jacobus Breitingerus.

---

Clariss. V. D. Johanni Duræo,  
 Theologo Scoto-Britanno insigni, Fratri in Chri-  
 sto plurimum observando.

S.

RESPONDISSEM E VESTIGIO, Clarissime DURÆE,  
 Venerande in Domino Frater, nisi adjunctæ

Tom. V.

R r

tuis

tuis fuissent etiam aliæ Collegio nostro inscriptæ. Transcribi illas, & ad Ecclesias Helveticas reliquas mitti oportuit. In deliberationem consilium tuum vocatur alacriter, ut rem tanti momenti a gente nostra pro eo ac par est pensitatum fuisse ætati præsentis & posteræ constare possit. Interea temporis, donec expediatur a nostris Ecclesiis responsum publicum, privatim certiores Te redere velim, homines nostros de conatibus tuis, piis certe & religiosis, sentire honorifice, & magnanimitatem tuam facere magni. Quia tamen Seculo præterito integro a Magni nominis pietissimisque Viris hoc ipsum quoque tentatum fuit non semel, successu plerumque non tantum nullo, sed adverso prorsus & noxio, nobis non vertes vitio, si rem accurate atque pro momento suo ponderaverimus. Epistola tua pietatis tuæ & eximii zeli locupletissimus testis; *Scopus* item *consiliorum* tuorum optimus; *Problematum præfatio*; *Problemata ipsa*; denique *Consensus tot Theologorum* ingenio & virtute præcellentium, apud nos certe in pretio sunt. De Helveticis Ecclesiis igitur rectissime sperare jubeo, quia imitabuntur, Deo juvante, Majores suos, viros religiosissimos, juxta tranquillitatis Ecclesiarum studiosissimos, qui reconcinnationem scissæ & afflictæ hæreditatis Dominicæ vel sanguini suo anteferre sunt soliti; Moram igitur, quæ tua est æquanimitas, excusabit cum rei ipsius gravitas, tum vero etiam quod longius absumus ab illis, quorum curanda sunt vulnera. Vale Clarissime Vir, Venerande in Christo Frater, cujus pios conatus Deo T. O. M. commendo supplex. Tiguri. 26. Junii. 1633.

Joh. Jacobus Breitingerus.

Reve-

Reverendis , Clarissimis , Doctissimisque Viris ;  
 Pastoribus ac Professoribus Ecclesiæ & Scho-  
 læ Bernensis , Schaphusianæ , Fratribus in  
 Domino plurimum honorandis.

S.

SERius forsan ad Vos mittimus scripta hæc Viri  
 Rev. Clariss. Doctiss. dilectissimique in Christo  
 Fratris. Distulimus autem propterea, quod auctorem  
*Johannem DURÆUM* Scoto-Britannum norat ex  
 omni nostro numero nullus. Nunc vero post-  
 quam cognovimus ipsum Serenissimi M. Britan-  
 niæ Regis Legatum sequutum esse Heilbrunnam,  
 ubi non ita pridem celebratus fuit Conventus ad-  
 modum celebris. Quia & magni isti conatus, &  
 literæ eruditæ arguunt Virum doctum, pium,  
 de Ecclesia laborante sollicitum, nec non apud  
 suos haud postremum, communicanda hæc om-  
 nia vobis esse censuimus. Quid in re tanti mo-  
 menti, & matura disquisitione dignissima facien-  
 dum fugiendumve existimetis, ut nobis id pro  
 exploratissimo candore vestro accuratoque judicio,  
 cui certe deferimus plurimum, aperire dignemini,  
 oramus vos peramanter. Facile enim in eam  
 sententiam descendimus, Ecclesias exteras non  
 implorare opem Ecclesiæ Helveticæ unius dunta-  
 xat, sed Ecclesiarum nostrarum omnium, quarum  
 conjunctionem arctissimam jam inde ab ultimo  
 Reformationis articulo non nosse non possunt. In-  
 terea Deum ἀδελφίως orabimus, ut cum aliis,  
 tum vero & nobis, quorum curæ fideique Eccle-  
 sias Helveticas Dominus concredidit, consilia in-  
 spiret pia, sobria, felicia, ad nominis sacrosancti  
 sui gloriam, & Ecclesiæ inutilibus & intricatis

quæstionibus vexatæ nimis ædificationem. Valetè  
in Domino Fratres Charissimi, & nos Vestri  
amantissimos, proporro amare pergite. Tiguri.  
2. Julii. 1633.

R. R. V. V. addictissimi Pastores & Professores  
Ecclesiæ & Scholæ

Tigurinæ.

Quæ Dom. JOHANNES DURÆUS, Scoto-  
Britannus, ad Vos nuper perscripserat, Re-  
verendi Doctissimique Viri, Fratres in Christo  
Salvatore nostro Carissimi, a Vobis accepimus,  
pro quorum communicatione gratias habemus  
longe maximas: Sed de eodem [non multo post  
cum ad Vestras eramus responsuri] subjecto, ter-  
minisque iisdem, ipse quoque DURÆUS ad nos  
perscripsit. Ex quibus conjicere nobis licuit, non  
omnino vanum fuisse rumorem, qui jam ab eo  
fere tempore, quo Serenissimus Suecorum Rex  
*Gustavus Adolphus*, laudatissimæ memoriæ Heros,  
negocium Domini tanto tamque mirabili succes-  
su in Germania peregit, spargebatur. Ita ut bo-  
ni omnes Deo gratias egerint pro tanta tantorum  
ornamentorum ad meliorem mentem voluntatem-  
que conversione; quamvis postea nobis innotue-  
rit, Christianissimos Germaniæ Principes non  
tam de Controversiis Religionis, quam Contro-  
versiarum injuriis & debacchationibus tollendis  
fuisse occupatos. Quod D. *Duræum* concernit,  
placet Viri Religiosissimi Zelus pro gloria Dei,  
quo Fratrum *ὁμοψυχία* & mutua membrorum  
Christi concordia [in qua tanto studio laborat]  
non parum illustratur. Cui respondendum esse  
judica-

judicamus communi Ecclesiarum Helveticarum nomine, laudandum votum tam sanctum, laudanda in conquirendis mediis industria & provocandis aliis labor: denique Ecclesiarum nostrarum in promovendo hoc negotio suspiria, preces, voluntas significanda, & si quæ sunt alia, quæ Fratres Charissimi, Vestrae Prudentiæ [perantiquo & laudatissimo nostro more] in adornando hoc Scripto relinquimus. Quod vero a Vobis nobisque postulat, ut ad Angliæ Præsules super hoc Literas demus, eum in finem, ut magnum Britanniae Regem ad id gratiose suscipiendum promovendumve sollicitent, hoc quidem tempore nobis consultum minime videtur. Cum enim cardo rerum intra Oceanum vertatur, inter Germanos inquam Viros non minus literatos & promovendæ Gloriæ Dei cupidos, Principibusque suis charos, quam sint Angliæ Episcopi, potius eorum vel voluntas sciscitanda, vel petitio expectanda est, quibus Ecclesiæ nostræ, si quid serio ab ipsis postulabunt, operam omnem & pietatis officia in Domino sancte, alacriterque exhibebunt. Quæ quidem nostra est Sententia. Deus Pacis in omnium Ecclesiæ suæ inspectioni vacantium animis Concordiæ facem accendat, & Vos Viros Clarissimos, Fratres in Christo plurimum dilectos diutissime incolumes conservet. Dabamus IV. Julii. 1633.

R. R. V. V. addictissimi & in Christo Fratres  
 conjunctissimi Pastores ac Professores Ec-  
 clesiæ & Scholæ

Bernensis.

Reverendis, Clarissimis, Doctissimis Viris, Ecclesiae Tigurinæ & Scholæ Illustris Professoribus Vigilantissimis, Fratribus in Domino plurimum honorandis.

S.

**A**ccepimus literas Vestras, Reverendi, Clarissimi, Doctissimi Viri, Fratres in Domino plurimum honorandi, una cum omnibus scriptis D. *Johannis DURÆI* Theologi Scoto-Britanni: & quis illius conatus sit, quæ vestra petitio, satis intelleximus. Laudamus quidem pii hujus Viri pium conatum; laudamus illius curam & studium de pace constituenda inter Ecclesias disidentes, quæ jugum Antichristi olim abjecerunt: hanc nimirum pii omnes toto pectore jam diu desiderarunt. Sed miramur persuasum ipsi esse, pacem hanc & concordiam hoc tempore, in tanta animorum exacerbatione, tanto opinionum discrimine [quod quotidie crescit] nominatis mediis fieri posse, & hisce remediis Ecclesiae vulnus, quod quotidie recrudescit, sanari posse.

Quid hac in parte agendum sit, quid non, etsi pro vestra singulari prudentia facile cognoscitis, ut consilio nostro opus non habeatis: tamen quia quid & nos sentiamus, quid speremus de toto hoc negotio, scire desideratis, brevibus mentem nostram vobis aperiemus.

Quod *Johannes Duræus* Scotus, homo peregrinus, in Patria nostra Germania ignotus, scriptis nullis clarus, nec auctoritate magna præditus, tentare conatur: id ante eum fecerunt Viri doctri-



doctrina, pietate, auctoritate apud Reges & Principes præstantissimi, Clarissimi, sed irrito conatu. Unica erat controversia in Colloquio Marpurgi habito, anno 1529. inter D. *Zwinglium* p. m. & D. *Lutherum*, de vero sensu verborum Christi in S. Cœna. Qui tum aderant, Viri Doctissimi, Præstantissimi, *Melanchton*, *Bucerus*, *Jonas*, *Oecolampadius*, *Hedio* sine dubio litem hanc componere conati sunt, sed frustra. Anno proximo, de Electoris Saxonix voluntate Augusta profectus est D. *Bucerus* ad D. *Zwinglium* & *Lutherum*, certis articulis, ut eos in hoc negotio & controversia conciliaret, sed frustra. Apparuit hoc in virulentis scriptis *Lutheri* in nostros post editis.

Si unica hæc controversia pacifice componi non potuit, auctoritate Principum, omni conatu Doctissimorum, Præstantissimorum Virorum: quid sperandum, quid expectandum, de tot tantisque quæ hodie in dubium ac quæstionem vocantur? veluti sunt de Communicatione Idiomatum duarum in Christo naturarum; de effusione proprietatum divinæ naturæ in humanam; de omnipræsencia corporis Christi; de Ascensione Christi in Cœlos; de sessione ad dextram Dei; de reditu ad iudicium: de prædestinatione electorum, de reprobatione impiorum, de divina providentia & regimine omnium creaturarum, de libero arbitrio: de confessione & absolutione privata, de Exorcismo, de necessitate aquæ Baptismi, de Virginitate B. Mariæ, de Imaginibus e templo abjiciendis, de altaribus, de fractione panis in S. Cœna, & quæ alia sunt pene infinita,

quæ in quæſtionem vocantur. Lis enim] litem  
parit, & error] creat errorem alium.

Augustana Confessio, cujus mentionem fecit  
D. *Duraus*, postrema scilicet, correctæ & emen-  
data, recte intellectæ, nobis non admodum est  
contraria, & adversa: Hanc recepit Casimirus  
Dux Palatinus, & Electoratus administrator p.  
m. Hanc explicandam incipit D. *Sobnius* S. Theo-  
logiæ Professor in Academia Heidelbergensi. Sed  
hanc admittere nolunt Lutherani, quamvis viven-  
te Luthero correctæ & aucta fuerit, & a multis  
Principibus recepta, & post operibus Philippi in-  
serta. Nulla ergo Pax & Concordia apud ejus-  
modi homines quærenda, speranda, expectanda.

Quid Colloquium Monpelgartense inter D. *Be-  
zam* & *Schmidlinum* Tübingensem institutum, se-  
quutum? Quantas dedit turbas nostræ Ecclesiæ?  
quam virulenta prodierunt scripta in Orthodo-  
xas nostras Ecclesias? Quid D. *Pareus* suo irenico  
effecit? Nihil. Abusi sunt hoc libro Remonstran-  
tes in Synodo Dordracena ad convincendas Ec-  
clesias nostras variorum errorum. Quid Theolo-  
gi Heidelbergenses admonitione sua ad Ecclesias  
Evangelicas in Germania, ut pacem & charitatem  
fraternam colerent, tempore hoc periculosissimo,  
sæviente Antichristo communi hoste? Nihil.  
Quam virulenter, odiose, calumniose se oppo-  
suerunt Wittebergenses & Tubingenses Theologi?  
Recusarunt omnem fraternitatem, cum doceamus  
crassissimos errores, qui fundamentum totius  
Christianismi evertant: Nos scilicet, negare O-  
mnipotentiam Dei, negare Omnipotentiam Filii  
Dei:

Dei: nos facere Deum mendacem, auctorem peccati, crudelissimum creatorem, qui tot hominum millia ad æternam damnationem creaverit: nos evacuare vim mortis Christi, nos negare Divinitatem Christi: Virginitatem B. Mariæ: nos esse Nestorianos, quia dividamus in Christo naturas, & unionem personalem duarum in Christo naturarum negemus. Imo Diabolum rectius sentire quam nos de Christo; nos Turcis esse deteriores.

Fieri posse creditis, Fratres honorandi, hos homines Pacem, Concordiam & fraternam Charitatem nobiscum habituros? Nulla auctoritate Regum, Principum, nulla eloquentia Doctissimorum Virorum, nulla oblata charitate, corda hæc adamante duriora frangi poterunt.

Et qui sunt, qui pacem hanc & concordiam fraternitatemque optant & petunt? Principes tantum, Comites & Theologi, qui Orthodoxæ nostræ sunt Confessionis: Tubingenses, Wittenbergenses, Argentinenses, Ulmenses Theologi, tantum abest ut pacem & concordiam aliquam quærant, ut oblatam plane respuant. Saxoniae Elector pacem aliquam non alia ratione quærit, quam ut abjecta nostra confessione, Libro Concordiæ subscribamus. Quam enim insensus sit Ecclesiæ nostræ hostis, satis declaravit in expellendo pio Friderico e regno Bohemiæ.

*Rastius*, Legatus Regis Sueciæ p. m. apud nos dixit, Regem bene sentire de nostra confessione: aliud vero dicunt, qui ejus animum familiariter no-

verant, aliud dicunt Colmarienses, aliud dixit D. Schmid Argentinensis in concione habita Colmariae. Imo bene actum esse de nostra Ecclesia dixit nuper Generosus a Papenheim, quod Rex sit mortuus: nam alia conditione Palatinatum non restituisset Filiis Friderici, nisi locum dent Pastoribus Lutheranis.

Mediator & Caput hujus conciliationis qui nominatur non tantæ est auctoritatis nec potestatis apud Principes Germaniæ Lutheranos, ut hoc opus sæpius tentatum frustra efficere possit. Lutherum patrem suum supra Cœlos evehunt filii, & tantum non ad dextram Dei collocant. Vir Dei fuit, inquit, Germaniæ Propheta, tertius Elias: Contra Zwinglius Ethnicus fuit, Calvinus Judæus: nos omnes deteriores Turcis, Deum nostrum esse Diabolum: evertere nos omnes articulos Symboli Apostolici: imo cantiones paternas canunt, lieber Bapstisch, dann Calvinisch. Nolent ipsi valedicere suis erroribus, nec nos abjicere orthodoxiam nostram. Concordia ergo & Pax firma illæsa conscientia sperari & expectari non potest, ut ne modestia quidem in concionibus & scriptis impetrari possit. Credite nobis, Fratres Reverendi, si ad concordiam & pacem hos homines invitaverimus, canem rabidum dormientem excitabimus, ut vehementius latret, & ut excitati crabrones acrius mordeant.

D. D. Ordines Hollandiæ vocantur præpotentes, sed quid quæso potuerunt contra Remonstrantes Arminianos Subditos suos, a tot Viris piis & doctis in Synodo damnatos? Silentium impetrare

petrare non potuerunt, nedum erroris abjectionem: facti sunt & fiunt quotidie deteriores, rabi-  
diores. Quid nos cum nostris Anabaptistis nume-  
ro paucis: quid vos cum Chirurgo vestro a *Thal-*  
*wil*? Error ubi semel radices egit in animo, diffi-  
culter evelli potest.

Arbitramur ergo pacem & concordiam, quam  
D. *Duraus* somniat, nullo modo fieri posse. Si  
aqua cum igne amicitiam inibit, ut hic non  
urat, illa non humectet, amicitiam inibit Luthe-  
rana Ecclesia cum nostra.

Si vero præter & contra spem aliquid tentan-  
dum putetis, Fratres Reverendi, ne posteritas ne-  
gligentiae, ignaviae aut socordiaë juste nos accu-  
sare possit, aut Ecclesiae exteræ hac in parte ali-  
quid in nobis desiderare: non nimium festinan-  
dum esse judicamus, tempore hoc turbulentissi-  
mo, quo armis omnia ardent. Quærantur prius  
Theologi Palatini, Brandenburgici, Hassiaci,  
Wetteravici, an illorum Principes & Comites  
omnino putent & petant, ut hoc tempore talis  
concordia tentetur: ne, si contra votum & ex-  
pectationem res cadat, & Lutherani deteriores fa-  
cti fuerint, culpam omnem nobis imputent &  
adscribant, nos ipsis nescientibus, non petentibus  
hoc consilii cepisse. Quærat, utrum animi  
Principum Lutheranorum, Saxonis, Administra-  
toris Wittebergici, eorumque Theologorum ad  
talem, si non concordiam, saltem modestiam  
aut tolerantiam inclinent: si non, in cassum la-  
borabitur, cum ad amicitiam cogi nemo possit,  
&

& animi Lutheranorum magis exasperabuntur, & risui ac ludibrio nosmetipsos exponemus.

*Problemata & Quæstiones* D. DURÆI quod attinet, ad omnes & singulas respondere velle, volumine magno vix præstari poterit, nec opus erit unius diei. Plane persuasi sumus, si Ecclesiæ singulæ suam de his quæstionibus sententiam dicerent *ὀμολογῶν* non futuram, quid adiaphorum, quid non: quæ capita sint fundamentalia, quæ non: & quo modo utraque tractanda, a quibus, & quo modo, an ore & calamo, an disputando, an cohortando, an a Politicis aut Ecclesiasticis, aut utrisque. Imo multa in quæstionem vocat, de quibus satius esset tacere quam disputare. Fractionem panis in Eucharistia de essentia illius esse nos affirmamus; negant Basileenses. Lis ergo hinc oriri posset in Ecclesia nostra Helvetica.

Hæc brevis est nostra, Reverendi Fratres, de hoc negotio sententia: quam libenter mutabimus, si rectius & melius a vobis aut aliis edocti fuerimus. Quæ vero vestra, D. D. Bernensium, Basileensium de hoc negotio sit sententia, quæ spes & expectatio, scire admodum desideramus; si significaveritis, rem gratissimam feceritis. Quid interim respondendum sit D. *Duraeo*, & an sollicitandi sint Episcopi & Theologi Anglicani, ut Serenissimo suo Regi hanc rem commendent, & ad suscipiendam persuadeant, vestræ committimus prudentiæ. Valete, Viri Reverendi, Fratres in Domino plurimum honorandi. Scaphusii. 6. Julii. 1633.

Q. R. R. V. V. amant & colunt Pastores  
Ecclesiæ

Scaphusianæ.

Viro

Viro Venerando atque Clarissimo

Dom. JO. JACOBO BREITINGERO,

Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti Vigilantissimo, ceterisque ejusdem Ecclesiæ Pastoribus atque Ministris pientissimis, Fratribus in Christo plurimum dilectis & honorandis.

S. P.

Venerabiles atque Clarissimi Viri, Fratres in Christo plurimum Honorandi. Judicium nostrum περί τῆς ἐιρηνοποιίας inter nos & Lutheranos, ad quam Literis datis D. JO. DURÆUS, Theologus Anglicus, nos invitat, unis atque alteris Literis a Venerando Antecessore Vestro D. Jo. Jacobo Breitingero, Fratrem nostro colendo, fuit requisitum. Ac tametsi Vestrum judicium prælibare maluissemus, tamen ne petitioni deessemus, existimabamus tandem citra ulteriorem moram, quam hæctenus varia avocamenta attulerant, quid nobis animi esset, Vobiscum communicare. Non dubitamus ante omnia D. Duræum, Theologum ut apparet cordatum, neque exigui nominis, optimo atque flagrantissimo adduci Zelo ad magnum hoc, utinam non Sisyphi Saxum! volvendum. Non dubitamus & conatibus ejus complures purioris notæ Theologos aliarum Reformatarum Ecclesiarum, quibus datum est, unum sentire nobiscum, favituros, operamque suam, quantum in ipsis erit, accommodaturos. Existimamus autem in tam arduo negotio, ἡσυχῆ, quod ajunt Græci προδιῆ esse inerrandum, atque illud ipsum probe tenendum quod vulgo dici consuevit: Deliberandum diu, quod statuendum semel.

mel. Neque adeo celeritate nobis quam maturitate consiliorum summaque circumspectione utendum. Abstinerere prorsus, manum subducere, occasionem quærendæ atque inveniendæ Pacis negligere, studiumque saltem Concordiæ dissimulare velle, id vero aut inertiae foret, aut timiditatis; aut neglectæ prorsus charitatis argumentum: Pro-rumpere autem velle inconsiderate & æquo citius, judicamus fore periculosæ temeritatis. Quid quæso jam inde a funesta Lutheri, primum cum *Carolo studio*, inde cum *Zwinglio* concertatione superiori Seculo a Viris Principibus summisque Theologis non fuit tentatum ad Schisma abolendum & Concordiam firmandam? Quot Congressus atque Colloquia, tum publica, tum privata, eum in finem fuerunt instituta? Quid autem hi labores omnes extiterunt aliud, quam Penelopes tela? Nimirum quod in morbis immedicabilibus fieri consuevit, quo plus adhibetur Medicinæ, eo magis exasperatur morbus & corpus fatigatur ac frangitur: id in hujus miserabilis Schismatis curatione hæctenus deprehensum fuit. Diabolus veterator, hostisque Pacis artes subinde atque machinas novas invenit, quibus opus sanctum impedit, perverteret, & patuit hucusque tantum ab-fuisse, ut Theologi adversæ partis, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ loquimur, nostris studiis, officiis, tolerantia, mansuetudine emollirentur aut emendarentur, ut novas subinde atque atroces contra nos, tacentes licet & sub onere gravissimarum persecutionum ingemiscientes, calumnias exspuerint. Quod si idem nunc nobis Orthodoxis Concordiam de novo validis lacertis tentaturis eveniret, & frustraneam iterum operam ludere cogeremur, existimamus



mamus satius esse, eam nunquam suscepisse, quam inutilem aut pœnitendis cum fructibus conjunctam deseruisse: Nihil enim aliud in talem eventum præfagire possumus, quam portam novis sibilis, clamoribus atque ludibriis cum Pantachustarum tum Papistarum apertum, multasque animarum myriadas, quæ negotii hujus eventum erectis auribus atque animis præstolantur, gravissime offensum iri. Quapropter quod nobis in re ista ardua visum est, ita se habet: Putamus I. nostrarum esse partium atque ἐκ βελέων, Literis responsoriis ad D. *Duræum* datis laudare ejus in promovenda Concordia pium Zelum, nostrum quoque testificari studium atque desiderium: ut qui hactenus nihil magis habuerimus in votis, quam juxta monitum Apostoli, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύειν. 2. Præmaturum judicamus, Literis interpellatoriis uti ad Theologos Anglos, præsertim eorum Primate, Archiepiscopum Cantuariensem & Episcopum Londinensem, quorum ille quidem nobis ὀρθοδοξίας atque pietatis nomine est commendatissimus: hic autem propter venenum Arminianismi, quem in sinu fovere dicitur, est suspectissimus: Præmaturum, inquam, putamus, Viros hos incitare ad sollicitandum Regis sui animum atque auctoritatem, propter varias gravissimas causas, tum maxime quod nondum nobis extra dubitationis aleam positum, an nunc e vestigio citra ulteriorem cunctationem negotium hoc Concordiæ sit suscipiendum, an vero alteri tempore magis opportuno ac pacato reservandum? 3. Existimamus itaque consultum, & necessarium fore, in antecessum nos, communi nomine Theologorum illorum, quibus

quibus hactenus in Germania primaria certamina cum Lutheranis intercesserunt, videlicet Palatinorum, Hassiacorum, Brandenburgicorum Judicium atque animum explorare, idque vel hoc saltem nomine & prætextu, quod ipse Duræus aperte in Literis datis eorum studium atque consensum [quem ipsos, reliquis Ecclesiis Reform. insalutatis, tam cito adhibuisse vel eo nomine admiramur, quod hic res agatur publica non unius, sed totius Ecclesiæ Reformatæ] dilaudet, sibi gratuletur in Colloquio Lipsiensi An. 1631. habito inter Theologos Saxones, Brandenburgicos & Hassos fundamentum Concordiæ non contemnendum jactum esse. Ut maxime ergo fidem ejus nequaquam vocemus in dubium, consultum tamen, immo necessarium arbitramur exquirere, quid Theologis illis animi, quæ in tanto negotio atque molimine spes; quid expectandum ab adversæ partis tum Principibus, tum Ecclesiasticis; qua denique omnium fructuosissima ratione, ac minimo cum periculo, operi pæne desperato manus admoveri possit. 4. Audito Theologorum responso putamus sanum atque maturum Consilium iniri inter nos posse, de negotio, si spes sit successus, masculo pectore aggrediendo, aut si nulla affulgeat, negligendo: Et opportunius tum fuerit *διὰ σώματος* potius in Conventu aliquo Helvetico, qui auctoritate publica institui posset: quam *διὰ μέλανος* de his aliisque quæ necessaria videbuntur inter nos conferre; 5. Rogamus & postulamus, ut in hoc negotio, quod spectat ad Concordiam disidentium nos simus unanimes & junctis omnia consiliis, atque operis tractemus. Itaque cum Theologi Genevenses una nobiscum  
ad

ad Societatem istam fuerint invitati & a nobis quoque  
 que datis Literis Communionem flagitarint, non  
 solum ipsos, sed & alios Ecclesiarum Reform. in  
 Helvetia & Confœderatis locis Parasitatas consilio-  
 rum horum & laborum cupimus esse participes.  
 Cæterum, quod causam ipsam adtinet, optamus  
 potius quam speramus successum; ac nisi Deus  
 ἐπὶ μηχανῆς velut novo atque miraculoso Sidere  
 illuxerit, & Principes sint ab utraque parte pii ζη-  
 λῶτες ἐν τῷ ἀγαθῷ, Pacis studiosi, quique The-  
 ologorum rabiem possint, norint atque velint  
 compescere, nihil sane effectui dabitur. Vere-  
 mur Theologos magno numero obstituros, qui-  
 bus nihil magis videtur Lutheranium quam ὁ δογμα-  
 τὸς: quantumvis non ignoremus, complures esse  
 modestiores, qui malint τὴν ἐπιείκειαν Philippi se-  
 ctari. Quicquid sit, cum Concordia, partim in  
 Doctrinæ consensu, partim in animorum con-  
 junctione sit sita, illum quomodo obtenturi su-  
 mus, si ipsis Formulam Concordiæ configere,  
 atque monstra novorum dogmatum deserere non  
 venerit in mentem? Hanc quam toties nostri ur-  
 serunt, quomodo ab ipsis impetrabimus, quibus  
 in ore frequens: Pacem politicam se nobis non  
 denegare, Fraternitatem autem Christianam per  
 conscientiam in fidei scissura nobiscum colere non  
 posse. Quanquam si hoc modo a Principibus  
 obtineri ad extremum posset, ut auctoritate illi  
 sua pessulum convitiis atque anathematismis horum  
 inquietorum spirituum obderent, magnum quid  
 obtineremus, & spes surgeret major melioris in  
 futurum Concordiæ. Sed de his multum nunc  
 temporis disserere judicamus esse ὕστερον πρότερον.  
 Hæc ergo sunt Viri atque Fratres Venerabiles,

quæ Vobiscum communicanda censuimus, non quod quidpiam velimus Vobis præscriptum, quorum iudicium nunquam nobis non antiquissimum est, sed ut cogitationes nostras Vobis aperiremus, juxtaque votis Vestris satisfaceremus. Nos Vobis opportuniora monentibus perquam lubentissime cedemus. Antequam autem has ad Vos exararem, non dubitavimus cum Capitibus primariis nostræ Urbis hoc negocium conferre, quorum simul animum ac iudicium his Literis Vobis repræsentare voluimus. Valete feliciter in Domino. Perscriptum Basileæ 10. Jul. 1633.

Pastores & Professores Ecclesiæ & Academiæ  
Basileensis.

T A N T U M .



ORA-